



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XVII. Vtrum sacramentum possit esse validum existentibus in ministro
intentionibus contrariis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Art. 3. Colligitur denique appositio, pro conditione; aliquo contingenti ignoto, aut non certo noto, siue præteritum id sit, siue præsens, siue futurum, siue diuinum, siue creatum, Sacramentum esse nullum. Quia conditio ignota, aut non certo cognita est impossibilis ratione sacramentalis significationis, seu complementis sacramentalis significationem. Nempe Sacramentum pendens à conditione ignota, aut dubia nullatenus ducere potest, aut non nisi incertè, ad cognitionem collationis gratiæ; cum tamen sit de essentia Sacramenti, vt, quantum est de se, ducat in cognitionem illius, eamque certam. Quod liquet ex superius positis, & patebit magis quæstione 26. Quia verò ignorantia & incertitudo per se datur in nobis respectu futuri, contingentis, & connexorum cum ipso; propterea quæstio communiter proponitur de eiusmodi contingenti, & de connexis cum eodem. Cæterum ratio nullitatis Sacramenti est eadem, vt iam satis apparuit, siue intentioni, aut formæ: *Ego te absoluo*, adiciatur; *si cras dabis elemosynam*; *si Deus scit te daturum*, *si es prædestinatus*: siue adiciatur; *si stelle sunt pares*; *si Deus scit iua esse*; siue adiciatur; *si Titius heri hora septima fecit actum contritionis*; & sic de similibus. Nempe, omnibus eiusmodi conditionibus, vt pote æquè ignotis, aut incertis, æqualiter suspenditur, ac aufertur vis certa significandi præcticè collationem gratiæ; ac proinde, & essentia Sacramenti.

Art. 4. Videtur autem probabilius Sacramentum valere sub qualibet eius generis conditione, si percipienti, & suscipienti Sacramentum adsit noùtia certa; quod ea conditio subsistat. Existenti enim huiusmodi certitudine, nihil officit conditio collationi gratiæ, eiusdemque significationi, & perceptioni; perinde namque subsequitur, ac percipitur collatio gratiæ, siue intendatur, ac dicatur: *Ego te absoluo*; siue addito, siue cum hoc addito: *Si Antichristus seducet multos*; *si est reprobis*; *si Deus id scit*. Nec obstat adfuturam esse nihilominus Antichristo libertatem, vt neminem seducat, vtque non reprobetur. Quia ea libertas, ac potestas simpliciter antecedens est coniuncta de facto cum necessitate consequenti oppositi; atque hæc necessitas est intrinseca Sacramento, quod intentum, & perfectum sit, vti modo dictum est. Quare Antichristus habebit solam potestatem simpliciter antecedentem, ne illa certitudo data fuerit, & consequenter ne Sacramentum validè perficeretur dependenter ab illa, nec gratia ex eodem taliter administrato obtineretur; non verò ne Sacramentum validum absolutè perficeretur cum tali conditione, neve gratia sacramentalis absolutè conferretur. Ex quo patet quid dicendum sit circa nonnullas difficultates de abusu gratiæ sacramentalis impediendi conditionem de facto appositam Sacramento, & consequenter eius valorem, atque illationem gratiæ. Idem enim dicendum est circa hoc, quod dictum est circa Antichristum.

Art. 5. Vt vt autem hoc habeat certum est grauius peccate ministrum apponentem, siue graui causa (quæ vix vnquam occurrere potest) conditionem aliquam non necessariam ad validum Sacramentum, iuxta naturam ipsius. Quia in re graui siue graui causa deludit fideles, si conditionem apponit occultè, si palam scandalizat substantiali nouitate ritus & vtrovis modo exponit Sacramentum periculo frustrationis; nec gerit se, vt fidelis minister Christi, & Ecclesiæ; dum alterat formulam præscriptam Sacri Ministerij sibi commissi. Igitur eas tantum conditiones expressè apponere licet, quæ tamen non exprimantur, virtualiter includuntur in ipsa rei natura. Communis hinc observatio in præsentem est, ministrum matrimonij posse, tum validè, tum etiam licitè

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

adiicere huic Sacramento omnes condiciones siue de præsentem, siue de futuro, quæ licitè, & validè opponerentur in puro contractu. Quia materia, & forma sensibilis est eadem pro Sacramento, & contractu, & vtraque habet rationem materiæ respectu rationis formalis Sacramenti. Quæ videlicet vtramque extrinsecè denominat, & vltimò complet in ratione Sacramenti. Quare hoc Sacramentum, tunc demum perficitur, & vltimo completur intrinsecè, cum omnes condiciones requisitæ ad valorem contractus iam sunt positæ à parte rei; tamen aliquæ fuerint tempore posteriores, quam intentiones ministrorum, & earum causalitas. ac motio physica. Quod in aliis Sacramentis accidere minimè potest. Quia in illis condiciones appositæ pro libito à ministro non pertinent secundum se ab substantiam Sacramenti, nec rationi illius formali subiiciuntur, tanquam materia designata à Christo Domino, vt subiiciuntur condiciones contractus matrimonij; ideoque valor, & substantia aliorum Sacramentorum suspendi, ac differri non potest vsque ad tempus positionis conditionum de futuro; vti potest in matrimonio.

Ad 1. Licet materiæ, & formæ Sacramentorum habeant modum significandi absolutum; subintelliguntur tamen condiciones, quas secum afferunt ex sua natura res significata, & res significantes. Quales condiciones sunt in quouis Sacramento dispositio, ex parte suscipientis, necessaria ad effectum Sacramenti ipsi communicandum; & ex parte ministri potestas perficiendi; in Sacramento non iterabili, non fuisse prius susceptum idem Sacramentum, & sic de aliis. Atque eiusmodi condiciones, nil interest, an explicitè adhibeantur, an subintelligantur implicitè. Aliæ verò condiciones vterius adiunctæ ex arbitrio ministri, non omnes corrumpunt substantiam significationis absolutæ, sumptæ moraliter, & iuxta communem hominum apprehensionem, ac estimationem, vt apparet ex his quæ præmissa sunt.

Ad 2. Patet ex dictis quænam distinctio, adhibenda sit circa eiusmodi condiciones de futuro contingenti, vel de præsentem connexo cum tali futuro, nec admittendos esse, aut reiiciendos omnino auctores, vel affirmantes, vel negantes circa illas, absque tali distinctio.

Q V Æ S T I O XVII.

Vtrum Sacramentum possit esse validum existentibus in ministro intentionibus contrariis?

Videtur non posse. 1. Quia volente Caio matrimonium contrahere cum Semproniam, & non cum alia, simulque volente contrahere cum Titia præsentem, existimata Semproniam, sacramentum est nullum, tamen accesserit consensus vicissim verbis expressus. Videtur autem eadem esse ratio de quouis alio sacramento, & de quouis alia oppositione intentionum. Ergo sacramentum nunquam validè perfici potest existente in ministro intentionum contrarietate.

2. Corpore in oppositas partes simul impulsio, nullus sequitur motus localis. Ergo nec animo oppositis intentionibus huic, & illuc simultaneè distracto, vllus vnquam in vlla materia effectus moralis sequetur. Nempe, quod est impulsus in corpore, est volitio, ac intentio in animo.

3. Nemo nolens, absoluit, donat, &c. validè, quæ tamen præstat, qui perficit sacramentum. Ergo sit

D d 2 habea

habeat nolitionem perficiendi sacramentum, & dandi eius effectum perficiet sacramentum nullum, tamen si habeat intentionem simul contrariam, eò vel maximè, quia malum ex quocunque defectu, ideoque nolitio perficiendi sacramentum præualebit contrariæ volitioni, quoad inducendum malum nullitatis.

Art. 1. Respondetur. Intentiones contrariæ de perficiendo, & non perficiendo sacramento possunt adesse ministro, vel simultaneè pro eo instanti, pro quo, per imperium voluntatis, vltimò determinantur potentia materiales ad actiones exteriores sacramentales; vel successiue, nempe altera pro eo instanti, altera ante idem instans. Siquidem aderunt simultaneè, adeoque ferentur ad obiecta non explicitè, & formaliter, sed implicitè tantum, ac realiter contradictoria; videndum est vtra intentio sit appetitiuè maior seu volitio, seu nolitio sui obiecti. Ea namque præualebit, & fortietur euentum sibi conformem, quæ ita maior fuerit. Quia, respectu intentionis appetitiuè maioris, habet rationem causæ ignorantia conuertibilitatis; realis inter prædicatum, ad quod fertur talis intentio, & prædicatum, ad quod fertur intentio appetitiuè maior; eademque ignorantia est purè comitans respectu intentionis appetitiuè maioris. Vnde intentio appetitiuè minor est inuoluntaria secundùm quid, cum, quæ est appetitiuè maior, nullatenus sit inuoluntaria, sed plenè, ac totaliter voluntaria; atque ex conceptu intrinseco vtriusque intentionis verificatur, quod si taliter intendenti adesset cognitio conuertibilitatis, inter vtrumque illud prædicatum, opposita illi ignorantia, sola mäsura esset in ipso intentio appetitiuè maior, excludendaque foret per eandem cognitionem intentio appetitiuè minor. Quæ sunt certa, ac conspicua, ex dictis in quæst. 10. act. human. Manifestum autem est præualere intentionem perfectè, & adæquatè voluntariam intentioni, in qua voluntarium est admixtum inuoluntario, & illam quæ sola nititur præsentis cognitione, illi, quæ nititur cognitione vt coniuncta cum ignorantia, & illam demum, quæ accedente cognitione impossibilitatis inter vtramque, sola permansura esset in voluntate ex sua natura, & conditione intrinseca, illi, quæ ex sua itidem natura euanesceret vi eiusmodi cognitionis.

Artic. 2. Quapropter casu, quo quis exereretur actiones exteriores requisitas ad sacramentum baptismi intendens operari iuxta Christi voluntatem, ac intentionem; simulque nolens subicere baptismum Pontificiæ potestati, quia existimat hæc duo esse inuicem separabilia, minimèque inter se conuertibilia, sacramentum valeret, si adhesio animi erga Christi voluntatem, ac intentionem esset maior absolute, quam auersio aduersus Pontificiam potestatem. Si autem accideret e conuerso sacramentum esset nullum. Idem dicitur de aliis eiusmodi, quia pluribus. Semper enim intentio appetitiuè minor, est virtualiter conditionata, & moraliter nulla comparatione intentionis appetitiuè maioris. Quod si contingat vtramque intentionem esse æqualem appetitiuè, sacramentum erit nullum perinde atque si nulla adfuisset intentio circa prædicata propria sacramenti. Quia neutra alteri præualere poterit, vt inducat effectum aliquem moralem.

Art. 3. Si verò altera intentio fuerit prior tempore, & altera posterior. Semper præualebit, quæ est tempore posterior. Non præcisè, quia posterior retractat priorem, ac aufert permanentiam eius habitualem. Hoc enim deficere potest in intentionibus, quæ non opponantur ex parte obiecti formaliter, & explicitè; sed realiter tantum, & implicitè: Verum quia actiones exteriores recipiunt valo-

rem, & inualiditatem moralem ex eo actu interiori, vi cuius existunt, seu qui est ipsorum causa, non verò ab eo, qui de facto se habeat per accidens, respectu existentia ipsarum. Patet autem intentionem posteriorem causare de facto actiones exteriores, mouendo vi sua potentias materiales, non verò priorem tamen habitualiter perseueret, dummodò purè habitualiter perseueret. Atque hoc est quoad rem præsentem manifestum, cuiuscunque demum conditionis, & naturæ, seu reflexionis sit vtralibet intentionum. Nulla namque ratione fieri poterit, vt actiones exteriores sacramentales non procedant à sola intentione posteriùs existente, atque ab eadem specificentur moraliter.

Ad 1. Hoc est speciale in sacramento matrimonij, quod saltem vt plurimum adhesio animi ad personam præconceptam est appetitiuè maior, quam ad aliam personam physicè præsentem existimatam eandem cum priore, & quam ad valorem contractus, & sacramenti hæc, & nunc. Quia plurimum interest contrahentis habere personam præconceptam, & non impediri, quoad hoc, per contractum sacramentalem cum alia. Ideoque error personæ annullat per se hoc sacramentum, cuius contrarium per se accidit, ob contrariam rationem, in reliquis sacramentis. Ceterum omnibus sacramentis, est commune, vt euadant nulla, si intentio ministri, vel vnica, vel appetitiuè maior, sit deuincta determinatæ personæ, aut materiæ, aut circumstantiæ, quæ de facto non adest.

Ad 2. Etiam in corpore sequitur motus, si alter impulsus sit maior; & siquidem motus consisteret in indiuisibili, vt consistit valor sacramenti, & effectus eius secundùm se; tantumdem moueret idem impulsus, atque si nullus impulsus contrarius ipsi coëxisteret.

Ad 3. Id vnusquisque dicitur simpliciter velle, aut nolle, quod vult, aut non vult affectu appetitiuè maiori, atque affectus contrarius minor, perinde æstimatur comparatione eius, ac si re ipsa non adesset, vt apparet ex ratione data. Iam quod dicitur, *malum ex quocunque defectu*, accipitur de defectu, qui priuat bonitate pertinente ad substantiam rei, cui inest defectus; ita vt ratione ipsius reddatur talis res inhabilis in ordine ad suum finem. Non est autem talis defectus, respectu sacramenti, intentio ipsi contraria, per aliam efficaciorum intentionem, viribus spoliata.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum minister sacramenti, eo valide perfecto, satisfaciatur toti suæ, ea in re, obligationi?

Videtur satisfacere. 1. Quia cui committitur aliquid quod opus, eo ita peracto; vt nihil vterius perfectionis illi superaddi possit, ad nihil amplius tenetur ex vi talis commissionis. Tale autem opus est sacramentum validum. Ergo minister sacramenti, dummodo illud valide perficiat, ad nihil amplius tenetur potest præcisè vt minister.

2. Nulla est, vel auctoritas manifesta, vel ratio euidens, quæ ostendat legem, quæ obligetur minister, saltem sub lethali ad aliquid, sine quo valor sacramenti subsistere potest. Quoad auctoritatem, patet id ex interpretationibus probabilibus adhibitis à Vasquez disputatione 136 cap. 1. & ex superadditis à Cardinali de Lugo disp. 8. sect. 9. circa testimonia, quæ adducit